



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno 561 Usque Ad Annum 633

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1759**

**VD18 90117832**

§.47. Conciliorum celebrandorum Ritus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66072](#)

Jun., id est circa medium Maji, quando Sæculum VII  
herbis crescentibus terra viret, cele- A.C. 633.  
brentur.

§. XLVII.

*Conciliorum celebrandorum Ritus.*

**C**onciliorum celebrandorum Ritus hic minutatim, quod nullibi alias me legisse memini, præscribuntur; nec dubitandum, quin ex antiquissima Traditione originem ducant. Hora diei prima ante Solis ortum omnes ex Ecclesia exire jubeantur, & claudantur portæ. Ostiarii omnes sub illa stent, qua Episcopi intraturi sunt. Ipsi simul omnes intrabunt, & secundum tempus Ordinationis suæ considebunt. Post Episcopos vocentur Presbyteri, quos advocandi causa aliqua subfuerit, & deinde Diaconi, quos admittere visum fuerit. Episcopi sedent in Circulo, & post ipsos Presbyteri, sed Diaconi coram Episcopis stent. Tum Laici intrent, quos isto honore dignos Concilium judicaverit. Notarii quoque ingredi jubeantur, lecturi & litteris adnotaturi, quæ necessaria sunt, & portæ custodiantur. Postquam Episcopi diu in silentio sederint mente ad Deum elevata, Archidiaconus dicat: Orate! illico omnes in terram se prosternant, & in silentio inter lacrymas & gemitus diu orent. Tunc ex Senioribus Episcopis aliquis

c. 4.

Sæculum VII aliquis surgat, & alta voce orationem  
A. C. 633. pronunciet, reliquis in terra jacentibus.  
 Oratione recitata & omnibus respondentibus: Amen, Archidiaconus dicat:  
 Levate! mox surgant omnes, atque Episcopi & Presbyteri in timore Dei, &  
 modeste consideant.

Silentibus omnibus, Diaconus Alba  
 indutus in medium afferat Librum Ca-  
 nonum, & illos, qui de celebrandis Con-  
 ciliis aliqua statuunt, legat. Tunc Epis-  
 copus Metropolitanus loquatur, illosque  
 qui aliquam Causam habent, hortetur,  
 ut proponant. Si quis Actionem moveat,  
 ad aliam causam tractandam prius non  
 digrediantur, quam illa fuerit finita. Si  
 quis extra Concilium constitutus Pres-  
 byter, Clericus, aut Laicus propter Cau-  
 sam aliquam Concilium adire cupiat, i-  
 stud Metropolis Archidiacono aperiet,  
 qui Concilio denunciabit. Tum Parti  
 intrare licebit, & causam proponere.  
 Nullus Episcopus ex illa Sessione disce-  
 dat ante horam, quæ ad eam solvendam  
 præstituta est. Nemo Concilium relin-  
 quat, priusquam omnia fuerint peracta,  
 ut omnes Decretis subscribere possint.  
 Nam credere oportet, Deum illi Conci-  
 lio adesse, in quo Causæ Ecclesiasticæ si-  
 ne tumultu, sedulo & tranquille defi-  
 niuntur.

§. XLVIII.